

HISTORIAM
GODESCHALCORUM
AD IMITATIONIS ET CAUTIONIS
EXEMPLUM
FLORENTISSIMO ET ERUDITISSIMO
JUVENI
JOANNI CASPARO
GODESCHALCO,
URATISLAV.

MAGISTRIS LIPSIENS. HI. ID. FEBR. A. MDCCXII.
ADSCRIPTO SUB GRATULATIONIS NOMINE
EXHIBET
URBANUS GODOFR. SIBERUS,
SACERD. LIPS.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANUELIS TITII.



iogr. crud.
312,10



Uum quidem nomen, *Vir Præstantissime*, per se satis auspicatum, bonæque significationis plenum est, atque a probis ingeniis ita excogitatum, ut sub auditum illius, brevi sono omnia Christiani Civis officia ad animum revocari possint. Morem, ita sese appellandi, a gentium doctore Paulo introductum puto, et si, qui ipsum vita Numinisque cultu etiam in antiquo fœdere antecedebant, ab illo nominis hujus usu non plane alieni forent. Hic enim literarum suarum capita insigni ornamento cohonestaturus, sibiique auctoritatem justam circumpositurus, Servi Dei cognomentum, quotidiano quasi titulo adscivit: in quem morem vetustissimi Christianorum iveret, retentisque licet impositis sibi, ab initiationis die, nominibus, Dei tamen servi ut appellarentur, summopere expetiverunt. Mox apud Græcos, quod commune obligationis erga Deum fuerat argumentum, quibusdam evasit proprium, ex quo Theodulorum(*) nomen admodum frequens & in Concilio-
rum

(*) Restat adhuc Theodulorum familia apud Italos, e qua Ludovicus Vannius de Theodulis Episcopus Scalensis Anno 1541. *Vir* plane doctus, insignisque famæ: de quo Ughellus T. 2. p. 663. & Pallavicinus L. XIX. c. 12. & Fuscararius in Epistolis ad Moronium.

rum subscriptionibus haud raro reperiendum. Jam quum non omnes citari conveniat, unum memorare liceat, gente Græcum, domicilio Latinum, cuius Eglogæ, eruditum piumque Veritatis & Mendacii colloquium continent, extant: a Commentatore non satis quidem erudito, immanni ausu ad Joannem Chrysostomum translatæ, & innumeris sordibus contaminatæ: ut prope optandum sit, primum illarum Scholiastem, Bernhardum Sylvestrum Clericis Ultrajectinis a Dupinio adscriptum ad nostra tempora devenisse. A Græcis Latini morem didicerunt, tam late illico diffusum, ut Laici, quos perperam vocant, Clericique eo promiscue uterentur; mox adeo repressus, ut in solo Pontifice Romano inanissimo significatu resideret. Concilia sane, seculo quarto, quintove & sequentibus apud Italos, Hispanos, Afros habita, Præsules Presbyterosque sistunt, quorum memoria sub hoc Elogio posteritati commendata fuit. (*) Nec a vero alienum, Syros etiam Orientisque incolas hoc nomine, quod & Bogomilorum sono exprimitur summopere delectatos, quasi qui Dei misericordia servati forent, etsi interpretatio, quam maxime congrua, quam nuper eruditissimus Vitebergens. Professor J. C. Wolffius in accurata Bogomilorum descriptione dedit, Dei misericordiam potissimum sistat. Unde per-

A 2 peram

(*) Theodoricus Ruinartus Presbyt. & Mon. Bened. Vir magni nominis, atque ex rerum Ecclesiasticarum, & antiquitatum ad Martyres spectantium illustratione summopere commendandus, in Notis & Observationibus ad Victoris Vitensis Historiam Persecutionis Vandalicæ, præter eos, quos Concilia suggesterunt, multos sifit, hoc nomine Christianam modestiam testatos, qua quidem adeo sese deprimebant, ut Stercoris quoque nomen adsciscerent. vid. Florentinii Martyrolog. D. XXV. Iulii: quo sine dubio το περιηγη expresserunt.

peram a Basilio Sectæ Bogomilorum posthac Princeps factum, quod nomen veris Christi cultoribus proprium, & posthac etiam nonnullis servatum, (*) ad vanitatis suæ obumbrationem rapuit. Quis itaque miretur, Gothos veletiam Germanos veteres ad Italos primum Hispanosque, mox longius abreptos in morem gentium, ad quas concederant, abiisse; quarum cum præcipuum decus cernerent, a Dei servitio nominari, fuere qui sese (**) Gotheschalkos seu Dei servos tanquam honestissimo cognomento appellari vellent. Hunc autem hujus antiquissimi nominis significatum esse, ex Uphilæ Gothorum in Mœsia circa annum Christi CCCLX. Episcopi Interpretatione novi fœderis accuratissima discimus: ex qua, præter alia illud potissimum cognosci potest, quantum vetusta Gothorum lingua ad nostræ Germanicæ puritatem accesserit, antequam a posteris illorum significantissimæ voces, vanioribus substitutis, profligarentur: Jam, quum illi late dominarentur, mirum non est, quosdam hoc nomine decoros, variis Ecclesiæ & Reipublicæ munieribus admotos posteris exemplum imitandi moris reliquisse.

g. M. L. I.
.. 46.

Gregorius M. laudatissimus Pontifex R. in Epistolis

(*) Bogomilus Archiep. Gnesnensis & Eremita Camaldulensis vixit An. 1183; cuius vitam primo, sed contractiorem edidit Martinus Baronius Jaroslaviensis, deinceps vero ubiorem Stephanus Damalevicius in Serie Archiepiscoporum Gnesnensium Romæ An. 1661.

(**) Gothoscalki nomen biscompositum esse, nemo negat. Priore voce Divinitatem, altera servitum notari, ex antiquissima Uphilæ versione Gothicæ apparet, Matth. VI. 24. Ni maguth Gotha Skalkinon jah mammonin. Germ. Ihr mögt nicht Gott dienen und dem Mammon. vid. Codex Evang. Uphilæ Stockholmiae à Collegio Antiquitatis editus A. M DCLXXL

lis Godeschalcum quendam Campaniæ Ducem dignissimi Viri titulo ornatum memorat, officio suo tam innocenter functum, ut, cum egenus admodum fatis cessisset, liberalissimus Præsul filio, patre & luminibus orbo, XXIV. modios tritici, fabæ modios XII. vini decimatas XX. dari imperaret, quod finiente seculo VI. factum putamus, qvum ante illa tempora Gotheschalcorum nomina admodum rara reperiuntur.

*Godeschalcus
Camp. Dux.*

Seculo VII. Godeschalcus, Presbyter Ecclesiæ Oxi-
niensis apud Hispanos, Episcopi sui vices in Concilio
Toletano VIII. sub Recesvintho Rege gessit, discipli-
næque restituendæ suffragia dedit, qvum incontinentibus,
idiotis, gulosis, Simoniacis, gravissimæ leges
dicerentur: atque hunc ipsum paulo post Ecclesiæ il-
lius Præsulem extitisse, e subscriptione Concilii Toleta-
ni XI. A.C. DCLXXV. habitæ divinamus, quo iterum
vitiis Sacerdotum, libidini, avaritiæ, duritiei, discor-
diæ, obices licet perpetuo proruendi positi fuere.

*Godeschalcus
Presb. Oxon
A.C. DCLIII*

v. Labbeu
T. VI.

Seculum VIII. sterile admodum paucos sub hoc
nomine illustres sistit, si Godeschalcum Episcopum
Senonensem exceperis, nullo suo egregio facto famæ
commendatum, quod mirum non est, cum optima
ova segnibus gallinis sæpe supponantur.

*Godesch. Ep.
Senon. A.C.
DCCLXXII*

Inchoante autem nono Sedes Carnotensis Gode-
schalcum habuit, qui non nisi nominis umbram, & ne
hanc quidem reliquisset, nisi Carolus Cointius eam
quodammodo commonstrasset. Quod si addere
placeret, qui Regum palatia suis obsequiis nobilita-

*Godesch. Ep.
Carnot. A.C.
DCCCVII.*

runt, posset isto loco Gothoschalkus Caroli M. ad Saxoness Legatus exhiberi, contra jus gentium cæsus, & a fortissimo Rege acriter vindicatus: neque id immrito, quum non in Regis tantum, sed religionis toties oblatæ contemtum, illud factum foret: Sed sponte illos præterimus.

*odesch. Hæ.
t. habitus
c. VIII.*

*et. Bened.
III. p. 60.
l. 62-74.*

Meretur vero, cuius mentio fiat, Godeschalcus, eodem seculo famosus, vitiato licet nomine ab Actorum Ordinis Benedictini Conditoribus editus, de quo Zacharias Pontifex in Epistola ad Bonifacium seu Winefridum, *Episcopum Moguntinum jubet, ut Sacrilegi Adelbertus Gallus, Godelscius, (seu Godescalcus) & Clemens Scotus in medium Concilii deducantur, eorumque causa subtiliter cribretur, & si deviantes à rectitudinis tramite & convicti ad rectam viam converti noluerint, juxta Principis suumque placitum, secundum Canonum Statuta de iisdem agatur.* Licet vero nobis e Præfulis Rom. sententia colligere, quod & in Jndice Sodales Benedictini monent, Godeschalcum de Hæresi, fuisse suspectum accusatuinque, restante dubio, quo errore potissimum fuerit contaminatus, nisi id ex Adelberti & Clementis causa cognoscamus. At quum ex epistola Pontificis constet, Adelbertum visiones, revelationes & reliquias mirandorum paratrices jactasse, consecrationes templorum in honorem Divorum reprehendisse: Clementem vero Patrum scripta, Pontificum & Conciliorum decreta de matrimonio & cœlibatu, recitationesque noxarum secretas rejecisse: tandemque Godeschalcum, triumviratu veluti constituto, accessisse, exinde certum

tum est, eum cum reliquis easdem opiniones imbibisse, et si non tam crebro nec tam graviter ac reliqui accusetur, unde Adelberti & Clementis nomina aliquoties sola, quippe qui hæreseos auspices essent, recitantur. Evidem nobis non est animus ille pruriens, hæreticos excusandi, attamen si rectius ponderentur ea, quæ his Triumviris objiciuntur, si que demandantur falsa, quæ Bonifacius gravissimis invidiæ stimulis agitatus addidit, ut vera & toleranda, invisis coloribus tanto magis foedaret: apparebit Godescalcum & reliquos bonos fuisse viros, nec nisi ad tollendam Præsulum tyrannidem & superstitionem intentos.

Hinc, interjecto propemodum seculo, Godeschal-
kus Prædestinatiani cognomento distingvendus pro-
dit, stirpe Germanus, & quod nonnulli accuratiores
viderunt, Francus, e nobili stirpe editus, hoc enim hæ-
reticum decebat, invitusque in Monasterium detru-
sus, ut mirum non sit, eum tandem Ordini Sacro tur-
bas in præmium retulisse. Is licet coactus sacris ad-
dictus foret, sacras tamen lites tam strenue tamque
solide didicit, ut exercitatis etiam sudorem provoca-
re posset. Putavit Dupinus ruditatem ipsi ab Hinc-
maro Rhemensi objectam esse, in quo tamen utrique
injuriam facit; magnus enim ille Rhemensium Præ-
sul ad Nicolaum Pontificem ita scribit, ut magis me-
tum suum quam contemtum de Godeschaldo pro-
dat: *Si Godeschalcum, ait, cuiunque commendandum
vestra auctoritas viderit, hoc in commendatione et-
iam providebit, ut, cui commendabitur, etiam Catholicus
sit,*

*Godeschalc
Prædest. Sc.
IX.*

sit, & gravitatem Ecclesiasticam, & vigorem, & Scripturarum scientiam habeat: quia non solum Scripturas ad suam sententiam violenter inflexas, sed & Catholicon dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliqua prevalet memoriter decantare: unde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verum & sciolos & incautos, atque Zelum Dei, sed non secundum scientiam habentes in sententiam suam solitus erat traducere. Et non solum Doctorum suorum Doctor esse appetit, sed & hoc solerter satis intendit, ut secum loquentes vel in sermone capere valeat. Et si de veritate non valeat, invincibiliter Sacramentis affirmare curabit ea secum loquentes dixisse, que forte non dixerant, ut ipse verax, & ei, qui illi contradicunt, probentur esse mendaces. Hæc Hincmarus, & ex eo Flodoardus Rhemensi Historia L. III. C. XIV. Innuunt ista magni Præfulis verba, ingenio Godeschalki excellentes adfuisse dotes, acumen, memoriam, promptitudinem; fraudes autem, & artes, & spiritus, quod Eristicum decebat, non minores. De errore omnibus nostris exemplo non dicam, qui tamen exteris, etiam Pontificiis, inter excusationem & culpam medius incedit. Dupinius, de verbis modolitem, neque injustam Monachi postulationem extitisse, putat, quod cum mortalium alter prædestinetur ad vitam, ob fidem, alter prædestinari dicatur ad mortem, sed propter scelera. Illud sane Pontificii Scriptores agnoscunt, Ecclesiam Gallicanam eo tempore ob id ipsum in partes fuisse scismam, Synodosq; integras, Lugdunensem, Arelatensem, Vi-

en-

ennensem Godeschaldo favisse, interque eas Valentianam A. C. DCCCLVIII. & Lingonensem A. DCCCLIX. non obscure partes ejus suscepisse, negotio ita librato, ut, licet Synodis, Moguntina & Cariacca damnatus, virgis cæsus, carcerique inclusus foret, causa tamen, quam defendebat, maneret quodammodo victrix aut certe ambigua, fatente illud ipsum Mabillonio, & Gerardo du Bois H. E. Paris. L. VII. Cap. IV. & e pristinis Vossio Hist. Pelag. L. VII. P. IV.

Seculum X. illustravit Godeschalkus Præsul Aniciensis, vel ut Sammarthani scribunt, Podiensis, ante Pontificalem cathedralm sodalitati Benedictinæ additus inque Monasterio Camaldulensi a S. Theodosio nomen indepto (de quo charta Ludovici Transmarini apud Baluzium extat) pro temporum illum ratione eruditus, hujus beneficii adeo non poterat oblivisci, quin ditior factus varias in hanc virtutum scholam opes transfunderet, cuius rei idoneum documentum exhibit Jo. Mabilio in amplissimis de Re Diplomatica libris. Multum ille & pietatis & religionis defensioni tradere solebat. Unde utriusque stimulis agitatus jam tum Præsul in Hispaniam abiit, Jacobi Apostoli cineres aut (*) umbras veneraturus, haud paucis secum in itineris societatem abreptis. Ibi dum versaretur, Ildefonsi Toletani Præsulis libros pro perpetuo Deiparæ Virginis Flore scriptos sibi dari fecit, eosque omnium primus in Galliam detulit, teste Go-

B

mesa-

(*) Vid. Ill. Cardin. Santzii d'Aguirre Dissertatio IX. T. I. Concil. Hisp. qua magno conatu opinionem Hispanorum defendit, Jacobum Evangelium ad se detulisse.

*Godescalcus
Ep. Anic. Sec..**Capitul. R.F.
T. II. p. 153*

mesano in Præfatione, quam Ildefonsi commentariis præstruxit. Quantum ille disciplinæ morumque gravitati fuerit deditus, laudata donationis charta ostendit, qua declaravit, non alia mente se divitias suis antiquis sodalibus offerre, nisi ut tanto majora pietati incitamenta daret, qua tamen opinione sua meo quidem judicio egregie deceptus fuit, quum non majorem, nisi divitias, hostem Religio experiatur. Hunc eundem esse auguror, cui Ratherius Episcopus Veronensis libellum Agonistici titulo ornatum tanquam eruditissimo Viro inscripsit, censuramque illius magna modestia flagitavit.

*Godeschalcus
Frising.
MVI.*

Postquam e cunis prodiiisset Seculum XI. infantiam ejus nobilitavit Godeschalcus Episcopus Frisonensis, qui insignem & excellentissimam cathedram mirabili bonitate, eloquentia, mansuetudine ad exemplum Servatoris adfcita, omniq[ue] posteritati in admirationem cessura collustravit. Vitam laudati Præfulis, vir æquali laude dignus, Ditmarus Martisburgensium Antistes, quem ob auctius exemplar sub Restituti titulo Ill. Leibnitius edidit, breviter exponit. In qua id potissimum evehendum, quod eloquentiæ vires, quibus insigniter pollebat, non ad incendendum efferandumque animos hominum, sed ad placandum convertit: dato insigni in Henrico Sancto Imperatore documento: cuius vinculis quum Henricus Marchio diutius detineretur, Godeschalcus in publicis rostris Pragæ apud Bojohemos consistens, Imperatorem obtestatus est, ut summi Numinis clementiam my-

myriades errorum condonantem sequens Marchioni veniam daret: qua sacra prece adeo summum commovit orbis Principem, utreus præter opinionem voti sui, frustra multoties repetiti, mox damnas fieret.

Procedente eo seculo, Godeschalcus Ecclesiæ Majoris apud Leodienses Præpositum egit, talemque se præsttit, ut omnium in se amorem converteret. Pauperum imprimis, gentiliisque superstitione detentorum liberos suscepit, Biantisque Priænei instar liberaliter educavit. Quos inter erat Durandus, famularem operam Godeschalco præstans, accepti per Dominum beneficii adeo memor, ut cum postea Leodiensem Præsulatum adeptus esset, benefactorem suum Domini instar coleret, nec juxta eorum temporum morem unquam in sua verba adigeret, multum licet ideo conquerente Reinerio in vita Wolbodonis Episcopi, qui Durando successerat. Religionis augendæ curam eo potissimum demonstravit, quod ædem Bartholomæo sacram, eamque satis splendidam suo sumtu apud Leodienses excitavit; additis aliis, quibus tam splendidi nominis fama tuto inniti potest.

Sed togatis hisce infulatisque gratum erit inserere sagatum hominem, Godeschalcum Slavorum Principem, eumque, Seculo Undecimo inclinante, Religionis Christianæ sedulum defensorem ac propagatorem: qui licet juventam gentiles inter ritus exegisset, mox tamen querelis pauperculi cujusdam Christiani

B 2

pla-

*Godesch. Pr.
pos. Leod.
An. MXXI.*

*Godesch. Pri
ceps Slavoru
An. MLXV*

plane immutatus, & ad veritatem deductus, quod odium antea in Christianos gesserat, illud in Slavos patrii moristenaces effudit, arma induit, ferro fidei Christianæ viam fecit. Aliquoties tamen sermones Sacerdotum latina lingua habitos, populari Slavorum Dialecto explicuit, felicissimumque amborum Interpretem egit. Dum autem plus robori quam sermoni innitendum, armaque rostris anteponenda crederet, captus tandem a Slavis ac misere interemptus est, mixto sibi Sacerdotum Sanguine, quos idem Martyrii honos, idem venerationis dies complectitur. Vitam ex Adamo Bremensi, Helmoldo, Kranzio & Bangerto, quos separatim consuluiimus, Godofredus Henschenius bona fide exhibuit, inque Sanctorum Actis posteritati consecravit.

Isto finiente Seculo, Godeschalcus Presbyter magnas quidem, sed difficiles nugas egit, homines rudes & simplices perpellendo, ut in Palæstinam secum abiarent, terramque Christi Salvatoris contactu veluti sacratam Saracenis eriperent; stulto plane desiderio. Quod si enim omnia illa in nostram potestatem sint redigenda, quæ suo olim pede pressit, quidni inter lapides & fluctus, & nubes etiam inaccessas versamur? Attamen vesanus placuit conatus, tresque Legiones conscriptæ in Pannonus usque fines pervenerunt: at dum pessimo exemplo asperam gentem rapi-
nis, stupris aliisque facinoribus irritarent, factum, ut omnes prope, ne excepto quidem infelicissimo duce, ad infidæ pacis conditiones deducto, interirent. Ce-
terum

*Godesch. Pres.
pter. An.
xcvi.*

terum et si bono successu res caruerit, ingenium tam & eloquentiam hominis mirari licet: cum magna dicendi vi præditum esse oporteat, qui ad unius diei iter, etiam oblato pretio, aratorem pelleixerit. Totam calamitatis Historiam Matthæus Parisiensis, fortassis & alii exhibuerunt.

Colophonem illi Seculo imponat Godeschalcus Canonicus Nivellensis, omnium consensu laudatus, cuius pietas in primis erga Macarium, Antiochenum Præfulem exilii tædia tolerantem eluxit: Vita Macarii jussu Erembaldi scripta vicem Godeschalco reddidit, agnoscendo ipsum præclari nominis etymologiam insigni prorsus ratione implevisse.

*Godesch. Ca
non. Niſel.
An. MXCVI*

Seculo XII. non exiguum nominis famam sibi Godeschalkus, Abbas S. Martini Præmonstratensis, atque deinceps Episcopus Atrebaten sis paravit, cuius si virtutes a solo Bernhardo Clarævallensi expositæ forent, satis jam existimationis haberent. Is vero in *Bernh. Ep.* Epistola ad Innocentium Pontificem scriptâ insigni Godeschalcum elogio mactavit, iisque ornamentis præditum asseruit, ut omnium, quæ peteret, compos fieri mereretur: Altera, ad Eugenium Pontificem Godeschalkum, jam tum Præfulem Atrebaten sem describit ut hominem simplicem & rectum, & in humilitate permanentem, & mediocritate contentum. Ejusdem ingenium, quantum ad literas pertinet, Godofredus Clarævallensis pulchre admodum jucundus in Epistola ad Albanensem delineavit, è quâ constat, ipsum equidem Theologiæ satis fuisse gna-

*Godesch. Ep.
Atrebatis. A
1148.*

*Labb. Con
T. X. p. 112*

rum, nec tamen satis bonum Disputatorem, ingenio nempe pugnaci, & callido, & sophismatum suppeditatrici plane destitutum. Quod tum apparuit, quum adversus Gilbertum Porretanum phalanges instruerentur: dum enim Godeschalcus eam de se opinionem fecisset, sese technis Gilbertianis opponi posse, negotium a Pontifice impositum suscepit Gilberti refutandi. Postquam autem nonnulla Patrum dicta adversus eum collegisset, eorumque aciem & pondus in Porretanum convertere deberet, apparuit, eum minus idoneum athletam esse, Godofredo asserente, Virum bonum nimis fuisse elinguem: unde conflictus Bernhardo, punctim cæsimque ferire consueto, spiculisque satis atrocibus utenti, feliciter admodum demandatus fuit. Retinuit nihilominus boni, sinceri, & quod omnes superat laudes, modesti Præfulis famam, præterque veteres integritatis suæ præcones locum, apud Historiæ Flandricæ Belgicæque Scriptores, Locrium, Aubertumque satis honoratum invenit.

Et hi quidem sufficiant, quum plures hujus theatri spatium non capiat; Tu vero, *Vir præstantissime*, eos ita contempleris, ut quid imitandum, quid fugiendum, paulo post decernas. Sane, quod ad Godeschalcum Orbacensem pertinet, laudabilis ejus diligentia, promptitudo, capacitas: Sed laude caret animus ferus, pertinax & carcere vix edemandus: Quare nolim, Te quicquam præter assiduitatem, tibi etiam fine ipso ad miraculum usque solennem, in exemplum

plum sumere. Magna hercle est ferocia, suos sensus omnibus obtrudere, potissimum his, qui nodis ingeni, vincula & fustes ostentare possunt: unde, nisi cum vulgo sentias, modestum erit, secum habitare, muscisque in cerebro natis, ni configi velint, ullum evagandi spatium dare. Eadem ratione Godeschal-
cum Bonifacio & Zachariæ notatum caveas: atrati sunt homines hæretici, cumque perdiderint homi-
num studia, in sua plerumque pice hærent. Tutissi-
mum est, nihil asseruisse, quod Eumolpidarum voces,
& publicas hominum execrations post se trahat.
Senonensis & Carnotensis tranquillitas placeret, nisi
otiosa foret, & ingloria: quanto magis felix est illud
Arcadum pecus, quod extinctum etiam, dum tym-
pana vestit, aliquam saltem, etiamsi ingratam sui fa-
mam excitat. Godeschalcus Aniciensis bonum ex-
emplum daret, nisi ad Hispanas umbras abiisset: tu-
um vero est sectari, quod solidum, quodque omnibus
etiam ventis conspirantibus sit duraturum. Slavo-
rum Princeps a tuo ingenio admodum est alienus, cui
arma placuerunt: cedant arma togæ, concedat lau-
realinguæ: unum ex eo discas, bonam interpretatio-
nem, Theologo dignam, populo gratam, nec ulli un-
quam Oratori dedecori futuram. Leodiensem nun-
quam sine fructu aspicies: qua enim rem agis exhila-
rari posset animus, quam si recorderis, sapientiæ fon-
tes per Te aliis reclusos, & sine pretio propinatos esse?
Atque ita etiam Atrebatus Præsul jucundam ima-
ginem præbebit, diligentia nempe, modestiaque in-
vita-

vitaticem: hæc Patrum lectionem commendabit, hæc spinosos homines cavendos, aut per silentium existimationi consulendum dicet. Frisingensem si- ne periculi metu & intueri & imitari debes: hæc e- nim eloquentia hominibus grata, cœlestiumque suf- fragiis approbata, quæ tantum efficit, quantum a pio Præsule patratum diximus. Tanto autem magis fu- nestum illum belli sacri tubicinem vitabis, quo infeli- cior clades illius fuit. Profecto enim præstat duris la- pidibus faxisve, quam hominibus istam testudinem aptare, si homines funesto ætatis nostræ exemplo, Præconum eloquentia fascinati & in rabiem versi, exiguum, quod habent rationis, perdant, & in bruta animantia furore convertantur. Quod si nemo o- mnius Tibi satisfecerit, in tui tantum Nominis meditatione occuperis, hoc si recepto pridem more feceris, illud hercle assequeris, ut dignus *Dei Servus* efficiaris, nec de solo Nomine, sed de Significatu, deque præmio amplissimo tandem gloriari queas.

